

1885

H O M I L E T I C I.

1886

de *Disciplina* in *Cod. fol. 190. p. 2.* infarctus est *Locus Hugonis de S. Viſore*, utique *Beda* longè posterioris. Ad calcem jacet: *Et sic est finis huius per dei misericordiam. Stanislaus. An de Zoyma? Fol. 217. p. 2. Quaestio de Conceptione sancte Marie virginis adlatis primum in contrarium argumentis deciditur in favorem Virginis. Fol. 222. Tractatus super orationem dominicam, cujus initium: Reprobata ypocritarum ostentatione &c. adjuncto altero beati, ut dicitur, Chrysostomi hoc transitu: Nunc breuiter uideamus qualiter Chrysostomus exponat hanc orationem &c. et tertio, qui incipit absque inscriptione: Pater noster. In hoc verbo dat Dominus fiduciam impetrandi &c. Fol. 231. Incipit liber beati Augustini de essentia diuinitatis atque incommutabilitate dei. Ita quidem: Omnipotens Deus pater et filius &c. Editus primum Günth. Zainer typis Augustan. circa an. 1470 — 75. cum multis aliis Opusculis, sub Hieronymi nomine f. sed in *Codd.* etiam diversis aliis sub variis titulis tributus legitur *Opp. August. Paris. T. VIII. append. col. 67. Fol. 235. Collectanea de Corpore Christi, Festivitatibus, Mulieribus post Partum et menstruatis, Voto, Confessione, Jeunio et Juramento plurimum e PP. Fol. 244. praemisso Cantici Cantic. textu Incipit speculum honorij (Augustodun.) super illud ad laudem Marie virginis. Speculum hoc titulo Sigilli B. V. Mariae extat in *Bibl. PP. Lugd. T. XX. p.***

1217. Deest vero, quae ibi habetur, Praefatio in *Codice*, qui statim infit: *Gloriosa virgo maria typum ecclesie gerens &c.* et finit: *alta meritis odorifera premijs.* Itaque nec Supplicationem illam: *Nunc pauca ad honorem virginis sunt superaddenda &c.* agnoscit. *Fol. 253. Incipit planctus beati Augustini de passione Domini. Ita: Quis dabit capiti meo aquam — donec suo seruo mihi Dominus Deus appareat uisu uel sompno &c.* Exorat hic Pseudoaugustinus Matrem Christi, ut referret, quae in morte Filii sui passa fuerit. *Fol. 257. Concordantiae II. Prior totius Historiae Evangelicae indicatis solummodo Evangelistarum locis, Altera diferta Passionis in die, ut inscribitur, Parasceues, vel potius Sermo, quemadmodum reliqua in *Cod.* contenta, ut sub principium monui.*

DCCLXXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U²⁰⁵. Folior. 256. 4. bene scriptus et rubricis distinctus hunc praefert titulum: *Incipit Postilla discipuli super Evangelia dominicalia secundum sensum literalem. In prima dominica aduentus. Praemisso toto ejus diei Evangelio incipit: Ante inicum hodierni ewangelij habetur Job. 12. Quod ante sex dies pasche &c. Exacto anni circulo finis fit in Festo Dedicacionis.*

II. fol. 129. *Incipit Postilla de sanctis secundum sensum literalem. Et quidem a Festo S. Andreae ita: Ambu-*

Ambulans ihesus iuxta mare galilee &c. Lymare id est quidam lacus habens centum stadia longitudinis &c. Iterum obitur circulus usque ad Festum S. Elizabeth, et inter alia occurrit Festum Domini Patris nostri, unde Autoris nostri professionem tenemus.

III. fol. 158. p. 2. Succedit *De communi sanctorum. Primo de apostolis. In illud: Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem. Job. 15. Initium: Ante initium illius evangelij scribit sanctus Johannes in eodem capitulo. Quod christus dixit discipulis suis &c. Tandem ad calcem: Explicit postilla — collecta Anno Domini 1437. Ex postillis et sermonibus illorum doctorum scilicet Ex postillis Nicolai De lyra super 4^{or}. evangelistis Et ex postillis Nicolai de gorra super 4^{or}. evangelistis Et ex postilla Sancti Thome De Aquino super Johannem Et ex sermonibus wilhelmi jugdumensis De tempore Et ex sermonibus Jacobi Januensis De tempore et ceteris. Et siquid in presentibus sermonibus minus bene posui in hoc me correctioni sancte matris ecclesie et cuilibet caritativo correctori subicio et offero ad emendam. Ipsum hic Discipulum loquentem audias, et fortassis ejus manum videas. Est vero is, ut norunt Literatores, Johannes Herold Teuto, quem bene conjectavit Quetifus T. I. Scriptt. Ord. p. 762. anno 1418. satis diu superfuisset, ut probat annus 1437. in Clausula nostra adductus. Norunt praetera Sermones ejus*

Librum de Eruditione Fidelium, et Promptuarium Exemplorum, quae omnia olim sub Typographiae initia saepe lucem viderunt. At Postillam nostram neque Quetifus, nec Oudinus, qui multus est de Heroldo, nec Fabricius memorat. Itaque ἀνεκδοτον habeo. Discipulum jam ad calcem Sermonum se compellavit Johannes noster, quod, ejus verba sunt, non subtilia per modum Magistri, sed simplicia per modum Discipuli conscripsi et collegi. Porro si, ut videtur, Codex hic ejus ΑΥΤΟΓΡΑΦΟΝ continet, reliqua quoque, quae sequuntur, ab ejus manu profecta sunt.

IV. fol. 185. Excerpta quaedam historica inscripta: *Nota opera satis mirabilia, aliqua bona et aliqua mala. Versantur inter conditam Romam et Annum Chr. 1325. Ad finem: Hec omnia collegi ex cronica hermanni que dicitur flos temporum. Hermannus is est, non Contractus, sed Januensis ex Ord. Wilhelmitarum seu potius Martinus ex Ord. Minor. cujus Chronica hic Hermannus ad an. 1346. produxit. Extant illa in Corp. Hist. med. aevi J. Ge. Eccardi T. I. col. 1551. deque Autoribus differit Eccardus Praef. §. XXII. In iis tamen non invenio, quod notavit Noster ad an. 1269. Conradinus Imperator in appulia decollatus est. Cui loco theutunici ibidem quendam fabrum virum strenuum de ochsenfurth prope herbipolim nomine Stock regem statuerunt licet plurimum renitentem. Qui postmodum curialiter ab exercitu se subtrahens*

1889

H O M I L E T I C I.

1890

bens post octo menses ad incudem ad patriam est reversus.

V. fol. 187. p. 2. *Incipiunt addiciones ad Sermones discipuli. Primo passio christi abbreviata ex 4^o. evangelistis et ex dictis sanctorum collecta. Init: O vos omnes qui transitis per viam &c. Extat in editionib. inter Sermones Discipuli de Sanctis numero Sermo XIV. Sub finem, qui aliquantum variat, ubi Edita habent: infideles quidam heretici hoc non faciunt, Codex legit: Hussite heretici &c. Sequuntur Sermones in festo Dedicationis, de Indulgentiis et de duodecim fructibus missae, ad cuius postremi calcem dicitur: predicandus rusticis qui stant foris ecclesiam infra missam. Atque hi tres in Edit. additi sunt ad Sermones de Sanctis. Sed in Codice succedunt alii quatuor, qui mihi *ἀνεδότοι* videntur, videlicet: Sermo de infinita misericordia dei. De peccatis venialibus. De nouem generibus hominum quorum pena augmentatur in inferno. Sermo quorum gaudium accidentale in celo augmentatur. His accedunt noti Casus papales et episcopales, et Inbibiciones a sacra communione. Ad has porro ita ingreditur: *Infra scriptos quos nominabo prohibeo a communione eucharistie, nisi contriti et confessi fuerint et absoluti, et satis fecerint vel adhuc satis facere velint iuxta consilium suorum confessorum.* Enumerat dein LX. Casus, et quidem: *Primo carentes usu rationis et in qua etate pueri accedere debent, hoc quere in Discipulo de tempore**

Serm. 47. &c. Vides omnia haec adhuc pertinere ad Job. Heroldum, qui sub finem addit: Sciendum quod quilibet plebanus potest pro quolibet peccato mortali subdito inbibere communionem, unde quilibet plebanus potest addere vel diminuere istos articulos secundum quod sibi videbit populo suo expedire; et suadet hos Articulos populo saepius praesertim Quadragesima tempore promulgare.

VI. fol. 235. *Tractatus, ut e calce adsumo, de confessione magistri Heinrichi de Hassia. Saepe citat Nostrum hunc Theologum suis in Scriptis Heroldus, unde non mirum, quod praesens Opusculum sua etiam manu transcripserit. Init illud: Tibi dabo claves regni celorum. Mat. 10. Verbum hoc cuilibet dicitur sacerdoti &c. et fertur quandoque titulo de Clavibus Ecclesiae, aut de Eruditione Sacerdotum directorium pro audienda peccatorum confessione. A nobis jam Vol. super. non semel relatum.*

DCCLXXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 389
Folior. 292. f. per duas columnas bene scriptus, minio distinctus, et olim *Monasterii Lunaelacensis*, five *Monsee O. S. B. in Austria* super. quod jam a 1748. millenarium suae *Foundationis* egerat, nunc vero abolitum est, insignitur, ut e calce praeoccupo, *Prima pars scilicet hyemalis Abortiui milicij in quo continentur sermones ad Clerum de tempore et de sanctis*